



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

7. Orantes nolite multum loqui.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

erari (quod quidem gratuitum est) sed pio ac debito orandi modo Deum semper aliquid retribuere Christus docet: quod quidem iustitiae est.

7. *Orantes nolite multum loqui.*

CAuillatur hic Calvinus more suo, & in totam Catholicam Ecclesiam his verbis inuehitur. *Damnatur eorum supersticio qui longis susurris Deum se promereri confidunt. Quo errore sic imbutum videmus esse Papatum, ut precipua orationis virtus illic credatur esse loquacitas. Nam quo quisque plus verborum demurmurat, eo magis censetur exacte precatus esse.* Hæc ille. Sed impio calumniatori sanctissimus Augustinus respondebit, qui hæc Christi verba sic exponit. *Orare in multiloquio, non est, ut nonnulli putant, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est quod pernoctauerit in orando, & quod prolixius orauerit: ubi quid aliud quam nobis praebebat exemplum? Et paulo post. Absit ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis.* Hæc ille. Et aduertere Calvinus debuit Christum non simpliciter prohibuisse in orando multum loqui, sed addidisse, *Sicut ethnici.* Illorum enim oratio erat mera battologia, quo verbo Christus hic vitur: id est, erat vana & incondita eiusdem rei repetitio, verbisque profanis à semetipsis inuentis sua idola inuocabant, ut sacerdotes Baal 3. Reg. 18. *à mane usque ad meridiem.* Atqui Catholicorum longæ preces quæ ita fatigant hæreticos, ex diuinis Scripturis, maximè ex Psalmis Dauidicis depromptæ sunt; & quicquid oratur, ex formulis ab Ecclesia Dei præscriptis oratur: quæ cum ethnicorum battologiis nihil commune habent. Denique Beza in Annotationibus ann. 65. editis suo Caluino contradixit, sic in hunc locum scribens. *Longæ preces hic non damnantur, sed quæ vana sunt, inanes, & superstiosæ.* Idem verò Beza in eisdem Annotat. ann. 88. excusis, illa sana sententia prætermissa, hunc in modum cum Caluino sibi insaniendum putauit. *Battologia vera & usitata exempla qui nosse volet, legat Romanensium Breuiaria, & horas quas vocant Canonicas, Rosaria, & infinita huiusmodi, quorum vel Satanam ipsum pudeat.* Hæc ille egregie in peius proficiens: & ea iam seipso deterior euomens, quorum profectò vel ipsum Satanam pudeat: quum in Breuiariis & horis

*Orationes
Ecclesia-
stica de-
fenduntur.*

Epist. 121.

*Luc. 6.
& 22.*

horis Canonicis diuinæ Scripturæ & alia ex probatissimis patribus decerpta multo maxima ex parte legantur : Rosaria Angelicam salutationem referant.

10. *Fiat voluntas tua, sicut in celo, & in terra.*

QVia hæc petitio manifestè docet exactam legis ac voluntatis diuinæ obedientiam à nobis exigi (ideo enim docernos Christus hoc petere quia Deus id à nobis fieri postulat) Calvinus hoc loco vt nefariam suam doctrinam de diuinæ legis plena obseruatione impossibili, ideòque nullam operum sed solius fidei iustitiam tueatur, hunc in modum sibi ipsi obiicit. *Posset (inquit) obijci quæstio, an petendum à Deo sit quod nunquam fore pronunciat vsque ad finem mundi. Respondeo nihil opus esse, dum terram obedienter componi optamus ad Dei nutum, singulos homines excutere. Sufficit enim hoc voto testari, nobis odio ac tristitia esse quicquid Dei voluntati aduersum cernimus, extinctumq; cupere: non modò vt omnium affectuum nostrorum sit moderatrix, sed vt nos totos qua decet promptitudine ad eam implendam offeramus.* Hæc ille. Sed primum mentitur Deum pronunciare nunquam fore vsque ad finem mundi, vt sua voluntas in aliquo impleatur. Pronunciavit enim Deus contrarium de Dauide, dicens: *Inueni Dauid virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Non quòd Dei voluntatem nunquã violauit, qui sæpe & grauitè peccasse legitur, sed quòd rarius peccans debita pœnitentia satisfecit: in quo etiam Dei voluntas fit, sicuti & in celo facta est quum peccâtes Angelos iustè puniret. Quòd autem Calvinus ait, *non esse opus excutere singulos homines,* si talis euasio locum habet, ergo & in reliquis petitionibus locum habere debet; maximè in eo quod dicitur, *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic iuxta Calvinum non sunt excutiendi singuli homines, an verè dimittant debitoribus suis, vt illis dimittat Deus peccata sua. Cæterum sicut hoc singulos concernit, & possunt singuli dimittere debitoribus suis, planèque singulis necessarium hoc est, vt in sequentibus verbis Christus docet, nec sufficit *voto testari* (vt nugatur Calvinus) *nobis odio ac tristitiæ esse,* quòd debitoribus nostris non dimittimus; eodem planè modo vt voluntas Dei in omnibus fiat à nobis, singulos concernit; & possunt singuli per Dei gratiam eius voluntatem implere, planèque necessarium hoc est singulis, suam in omnibus voluntatem diuinæ

Act. 13.

Impostura
Caluini re
fellit.

Singulos
præcepta
concernit.

volun
ac tri
faciun
tudine
nes in
lunta
mana
Quid
tump

12.

H
daci
iustifi
quam
pende
Christi
presso
charu
esse c
ad ear
filior
figillu
verba
seque
dimit
ad ve
quid
Deus
saria
prox
quod
qua r
que r
præc
meu
retic
cont
hic C
fente
sibiq